

ad rem presentem non pertinere, cum Propheta de Judæis sui temporis loquatur. Huic Objectioni occurrit Johannes, dicens: *Esaiam hæc dixisse, quando vidit gloriam Christi & de eo locutus est; plerique enim interpretum hæc verba accipiunt de Christo, quod nimirum Esaias gloriam Christi viderit.* Hoc tamen non obstante idem *Wolzogenius cum Socino resp. ad cap. VI. Vujeki p. 549.* in sequentibus pronomem αῡς ad Deum refert, eam rationem prætendens, quod in N. T. græco Tiguri in Helvetia anno 1559. expresso, & in magnis Bibliis Roberti Stephani in margine annotatum sit *δοξ̄αν τ̄ς Θε̄ς.* Videmus etiam hos & alios quosdam codices apud *Millium*, qui hanc lectionem exhibent; sed eam merito in dubium vocamus, quod facile contingere potuerit, ut librarii negligentia ex versiculo 43. *την̄ δοξ̄αν τ̄ς Θε̄ς,* relatum sit in versiculum 41. Accedit, quod reliqui omnes & accuratissimi codices legant *δοξ̄αν αῡς,* quibus adstipulantur antiquæ versiones, v. g. *Vulgata, Syriaca,* quæ idem legunt. Res ipsa quoque pro hac versione loquitur; si enim posueris Evangelistam v. 41. scripsisse: *Hæc dixit Esaias, cum videret gloriam Dei & loqueretur de eo;* in sequenti versiculo 42. necessario dicere debuisset: *multi quoque e Proceribus crediderunt in Jesum,* ne Judæos incredulitatis erga Deum accusare videretur. Miramur itaque virum ea in dubium vocare, ut suæ hypothesei velificaret, quæ textus connexio extra omne dubium posuit.

## § 9.

Nec alicujus momenti sunt, quæ *Socinus in resp. ad cap. VI. Vujeki p. m. 549.* nostræ explicationi objicit. Primum est, quod a vers. 37. quatuor consequentes versiculi per parenthesis legi aut debeant, aut saltem possint; apertum enim esse, versiculum demum 42. cum isto 37. & sensu & verbis conjungi, cum alii quatuor intermedii videri possint aliquantum a proposito digredi. Hoc pacto pronomina relativa *EJUS & EO* Deum referent,

B

rent,